

dati Viri *Enchiridion Metaphysicum* quod Anno 1671. Londini prodiit, inculcatum, speciatim tamen ejus 165. & seq. pag. expositum, unâ cum axiomatibus quibusdam Hydrostaticis, quæ è certis quibusdam legibus, juxta quas agere illud *Principium Hylarchicum* solere experientiâ diligentique Observatione deprehendatur, conflavit. Horum axiomatum omnium primum cum statuisset, *Quod pro sua vel particularum suarum soliditate vel ponderositate corporû quæ circa terram sunt, propius vel remotius ab ejus centro ab Hylarchico hoc Principio collocentur, nisi quid hanc ordinatam eorum collocatorem impediat*; & tamen in Baroscopio videret aerem externum centro terræ propiorem quàm Mercurium in tubo suspensum, id pag. 172. fieri dicit ob impedimentum aeris, quem in firmitudine suæ consistentiæ conservaturus *Hylarcha* ille, cogatur mercurium suspendere præter solitum, etsi non contra legem illam primam, cum exceptio de Impedimentis in ipsa lege contineatur. Quæ uti obscurius dicta sunt, ita firmatis supra principiis de pondere & elaterio aeris indeque deductis Phænomenon Baroscopicorum causis, an veniant præferenda, aliorum malim audire judicium, quàm meum hæc interponere; eritque in sequentibus frequentior hanc Hypothesin examinandi occasio.

AUCTARIUM IV. TENTAMINIS. AD I. PHÆNOM. ET SIMUL VI. CONCLUS.

EXperimentum hoc debetur acutissimo Ingenio Roberto BOYLE, quod prolixius exponit *Paradox. Hydrost. XI. p. m. 183.* quamvis fatendum sit Paschalius id ipsum, si non ipsò facto sumsisse, quo pacto tamen sumendum esset explicatè descripsisse in eo ipso Libello Gallico *De L'Equilibre des Liqueurs*, de quo Boylius, sub initium *Paradox. Hydrostat. prolixè agit, & quidem Cap. ejus IV.* Id cum feliciter non essem imitatus tantum, sed & accessione non contemnenda paulò post locupletâssem, tandemque, dum hæc Auctaria meditabar, iterum iterumque animo volutarem, incido forte fortuna in *Henrici Mori* supra memoratum *Enchiridion Metaphysicum*, ibidemque p. 157. hoc ipsum reperio descriptum allegatumque; sed in finem planè alium atque ad demonstrandum aliquid, ei quod Boylius inde deduxerat è diametro adversum. Dum id miror ac legendo pergo, sequenti pagina hæc reperio Mori verba: *Et quòd sursum urgetur* (æneæ valvulæ seu capsulæ operculum intellige) *cum appenso lapide, lubens agnosco. Id verò ex eo fieri, quòd tubus cum valva defendit ab ipso superincumbentis aqua pressuram, constanter nego.* Nam si idem Tubus E D (Vid. Fig. XVIII, cui Mori discursum applicamus)